



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ethices Christianae, Libri Tres**

**Daneau, Lambert**

**Genevæ, 1579**

Capvt Primvm. Ethice quid sit, & vnde haurienda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**



## ETHICES CHRISTIANÆ

LIBER PRIMVS.

## CAPVT PRIMVM.

Ethice quid sit, &amp; vnde haurienda.

**V** V M triplex sit Philosophiæ pars à Platonici primùm, post autem à Stoicis constituta: Vna, quæ in naturæ obscuritate inuestiganda versatur, quam Græci φυσικὴν, Latini verò Naturalem appellarunt: altera, quæ in moribus hominum rectè institutendis, virtutumque præceptis tradendis tota occupatur, quam ἠθικὴν homines Græci, Latini Moralem dixerunt: tertia, quæ vtrique parti subserviens viam rationemque assequendæ veritatis explicat, quam Græci & Latini λογικὴν siue Dialecticam communiter nominarunt: illa certè homine, præsertim verò Christiano, maxime digna est, quæ in honestæ sanctæque vitæ norma præscribenda laborat. Quanquam enim neque naturæ rerum cognitio viro Christiano & fidei spernenda est, in qua summa Dei laus (propter quam vnā celebrandā homines nati sumus & facti Christiani) effulget: neque argumentandi ratiocinā diuē scientia prætermitti

à quoquam potest, qui velit breuiter & tuto ad veritatis agnitionem peruenire: tamē hæc, quæ sanctè mores nostros informat, ars & cognitio, magis est quodammodo propria peculiarisve hominum christianam veramque Dei religionem profitentium, quod hi suæ vocationis voluntatisque Dei finem sciunt esse vitæ sanctificationem, atque puritatem. *Illuxit enim gratia, ait Paul. Tit. 2, v. 11, illa salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter & iuste & pie viuamus presenti seculo.* Neque enim ad sacrosancti sui Euangelij cognitionem vocauit nos Deus, ut immundi & moribus turpes, tanquam fues, maneremus: sed ut in vitæ sanctitate & iustitia, tanquam filij lucis, incederemus. Itaque Paulus Thessaloni. 4. v. 3. & 7. *Hæc est, ait, voluntas Dei, sanctificatio vestra. Non enim vocauit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem.* Quamobrem hæc vna philosophiæ pars, quæ à *divin* vocatur, est ab hominibus Christianis maximè ediscenda: si modò sanæ & sanctæ illius, quam à Deo specialiter consecuti sunt, doctrinæ fructum aliquem vel ipsi sentire, vel aliis proferre cupiunt. Huius autem tam salutaris institutionis præcepta neque melius, neque tutius, addo etiã, neque felicius hauriri, quam ex sacro ipsius Dei verbo possunt, imprimisq; ex ea illius parte, quæ lex Dei siue Decalogus vulgò nominatur, quod in eo præcipue Dominus rerum agendarum & fugiendarum præcepta dedit, quemadmodū docet Christus Mat. 19. v. 16. Reliquas enim artes Dominus etiam  
pro.

profanis philosophis liberaliter largiens, hanc vnam sibi retinere, tanquam propriam, videtur voluisse, per quam bonorū & malorum fines, iusti & iniusti discrimen, honesti & inhonesti ratio, sanctitatis & turpitudinis vera definitio & via nobis præscriberetur: Nā quemadmodū solus ipse iustus est & sanctus, solus est omnis fons sanctitatis: sic ipsius voluntas iusta est, & omnis etiam iustitiæ regula: sic illius vnus viæ omnes sanctæ sūt & rectæ Psal. 25. v. 10. Psal. 14. v. 17. hominum autem, quantumuis cordatorū & bene moratorum ratio siue iudicium in rebus honestis & turpibus discernendis & statuendis cæcum est, atque etiā voluntas ab honestis appetendis auersa est, & abhorret: voluptate, quæ est esca malorū, delinita. Ex quo fit, vt neq. ex humani ingenii perspicacia & iudicio: neque ex volūtatis humanæ electione & appetitu: neque ex vllius hominis legislatoris, vel philosophi legibus, libris, vel præceptis hæc tam sancta, pura & nobilis scientia rectè haberi possit. Hæc enim vel præcipua laus Legi illi diuinæ, quæ per Mosē Iudæis data est, passim ab ipsa scriptura tribuitur, quod illa vna quid iustum aut iniustum, quid bonum aut malum sit, verè hominibus ostēdit & declarat Mich. 6. v. 8, *Indicauit tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Iehouah abs te requirat.* Itaque hæc præcepta *honorabilia* dicuntur Osec. 8. v. 12. ac omnium hominū sapientiæ & legibus, & meritò quidem, præferuntur. Deut. 4. v. 5. *Videte (ait legem à Deo promulgatam repetēs Mosēs) docui vos statuta & iudicia, quemadmodum mihi præcepit Iehouah Deus*  
a. ij.

meus, ut ita faciatis in medio terra, ad quam vos ingredimini, ut eam possideatis. Custodite ergo, & facite, quia est sapientia vestra, & intelligentia vestra in oculis populorum, qui audient omnia statuta ista, & dicent, vique populus sapiens, & intelligēs, gens magna ista. Et quæ est gens ita magna, cui sint statuta & iudicia iusta, sicut est vniuersa lex ista, quam ego do coram vobis hodie? Hæc eadem de moribus, & vitæ sanctitate præcepta Dei lege tradita & comprehensa dicuntur perfecta, sapientiam afferētia, recta, lucida, & oculos illos quidem non tam corporis quàm animi illuminantia, pura & desiderabilia præ auro & argento Psal. 19. Quorum etiã pulcherrimæ & verissimæ laudes toto Psalmo 119. à Dauide copiosè concinuntur, ut tutissimam & plenissimam Ethices philosophiæ cognitionem inde nobis hauriendam, ac accipiendã esse dubitare iã non possimus. Quod enim de lege XII. tabularum scripsit præclarè M. Tullius, longè æquiore ratione ad diuinam legem transfertur, *Fremant omnes licet (dicam quod sentio) Bibliothecas omnium philosophorum vnus mihi videtur decem præceptorum Dei libellus, si quis legum fontes, & capita viderit, autoritatis pondere, & utilitatis vbertate superare.* Quanquam autem per vniuersum Dei verbum Ethices Christianæ doctrinã latissimè diffusa est, tamen in lege Dei, quæ à veteribus & Græcis Christianis *νόμος* siue *νομος* dicta, & à ceremoniali (quæ *ἱερός νόμος* ab iisdem vocatur) itemque à iudiciali (quàm *πολιτικός* nominant) distinguitur, decemque tantum præceptis constat, tota hæc cognitio continetur.

Est

Est autem Ethice Christiana, qualem hinc querimus, qualisque Dei verbo comprehensa est, tum internæ, tum externæ nostræ sanctitatis. i. totius vitæ nostræ reformationis, qualis esse debet, plena perfectaque institutio & doctrina. Verè enim Lactant. libr. 6. cap. 5. idque partim ex Aristot. partim ex Cicerone sumens. *Sicut virtus non est, ait, bonum aut malum scire, ita virtus est, bonum facere, malum non facere. Et tamen scientia sic cum virtute coniuncta est, ut scientia precedat virtutem: virtus sequatur scientiam, quia nihil prodest cognitio nisi et actio subsequatur.* Aristot. libr. 2. in dicit. cap. 2. eodem modo ἡ παρῶσα θεωρηματικὴ ἡ θεωρητικὴ ἐνεργεῖ ὅτιν, ὡσπερ αἱ ἄλλαι. οὐ γὰρ ἴν' εἰδῶν μὴ πῶς ἢ ἀρετῆς, σκοπεῖται: ἀλλ' ἴν' ἀγαθοῖ ἡρώμεθα. Ergo tota ad actionem refertur. Nostra igitur definitio quàm sit verum ex Lactantio & Aristotele, tum ex sequenti disputatione luculenter apparebit. Hanc enim scientiam in affectionibus & actionibus (πάθη καὶ πράξεις vocat Aristoteles) nostris modo randis, id est, in finibus nostrarum actionum regendis totam versari certum est.



## CAP. II.

Ethice Christiana quid à profana & philosophica differat, Itémq. ab eius honestatis præceptis, quæ Nomothetarum legibus describuntur.



QVONIAM verò & Nomothetæ homines, qui politicas leges populis descripserunt, posteaque eorum interpretes Iurifconsulti, se iusti & iniusti  
a.ijj.